



10

AD  
 ORATIONEM  
 MEMORIÆ  
 VIRI NOBILISSIMI ATQUE AMPLISSIMI  
 MELCHIORIS CASPARIS  
 WINCLERI  
 SACRAM  
 FUTURO MARTIS DIE  
 HORA IX. AUDITA  
 PUBLICE  
 AB SE HABENDAM  
 OFFICIOSISSIME INUITAT  
 IOANNES CHRISTOPHORUS MULLERUS  
 GYMNASII CONRECTOR.

ZITTAUIAE  
 TYPIS GOTTLIEB BENJAMIN FRANKL.



**M**emoriam uirorum, qui patriæ suæ, etiam si extra eam uixerunt, & decori quondam, & ornamento fuerunt, sancte recolere atque ueri, iustum projecto posteritatis est officium, præsertim, si ipsi hi boni uiri in patria, eius caritate ducti atque impulsu, recordationis suæ monumentum exstare uoluerunt. Horum in numero iure meritoque ponendus mihi uidetur Vir, doctrinarum laude, munerum dignitate, ac meritorum amplitudine, Perillustri atque Excellentissimus, Andreas a Kohl, quatuor olim Serenissimorum Electorum Brandenburgicorum & Consiliarius & Procancellarius, qui Zittauia, patriæ suæ, quamquam e sinu eius mature fuerat ereptus, non solum amantissimus, multoque cum uoluptatis sensu memor semper fuit, uerum etiam in suo, quod fecit, testamento, ut legari, constituit, ut in Gymnasio nostro, oratione anniuersaria, quæ priuatim quoque haberi solet, memoria sui consecratur ea quidem lege ac uoluntate, ut uita ipsius breuiter, modestè enim erat studiosissimus, commemoretur, ac studiosa iuuentus, quod quidem præ ceteris uoluit, ad pietatem in Deum, ad morum probitatem, ac doctrinarum studium, quam diligentissime exciteretur atque admoneatur. Proinde in commentatione, quæ in præsentem mihi scribenda est, magni huius uiri uitam persequi, ac præclaras, quibus & splendidissimos honores, & nominis nobilitatem consecutus est, uirtutes breuiter recensere constitui. Ortum igitur Kohlii sibi uindicat Zittauia, ubi anno sæculi decimi sexti sexagesimo octauo, VIII. Calendæ, Decembris natus fuit. (Emendandus itaque est Ioecherus, qui in suo eruditorum nomenclatore Nostro ex Marchionatu Brandenburgico oriundum fuisse tradit.) Patrem habuit generosissimum ac spectatissimum Antonium a Kohl, ciuitatis nostræ Senatorem grauissimum, matrem uero, nobilissimam, ac uirtutum laude ornatissimam Annam Metcium, Andree Masci, primi scholæ nostræ, post sacrorum emendationem, Rectoris clarissimi, ac postremo apud nos ordinis senatorii Scabini meritissimi, filiam. Hi parentes, qui ex filio, suauissimo amoris sui pignore, summam percipiebant læticiam, confestim quoque, ubi ætas permisit, omnem operam, omnemque curam in eum, bene educandum, impenderunt. Pueritiam igitur ipse prudenti consilio rectoque studio prospexerunt, uere persuasi, atque edocti, huius ætatis præcipue diligentissimam habendam esse rationem, quod melius postea, feliciusque, iuuenili ætati subueniri possit. Erat autem in Kohlio nostro a primis inde annis tam bona, tamque præstans, ingenii animique indoles, ut sponte curreret, ac in morum & literarum studio non agendus, sed ducendus esset. Interim accidit, ut Kohlius noster rerum humanarum uicissitudinem præmature experiretur, siquidem breui tempore carissimis parentibus orbatus fuit. Decem enim annos natus, patrem amisit, & post biennium, mater quoque excessit uita. Et si autem tum temporis ob ætatem puerilem acerbam ac luctuosam rerum suarum conditionem sentire satis non posset,

posset, tristissima tamen ea fuit. In ancipiti igitur futuræ salutis sorte constituto diuina providentia clementissime prouidit. Habuit enim auunculum, uirum celeberrimum, Michaelē Mascum, I. V. D. qui tum in Academia Lipsiensi docentis munereungebatur, ac tandem Principum Anhaltinorum Consiliarius magna cum dignitate, nominisque fama, uixit. Is Kohlium Lipsiam ad se uocauit, omnesque parentum partes in se suscepit, quas tanta eum cura sustinuit, atque expleuit, ut cuncta afferret, quæ ad optimam liberorum educationem pertinere possunt. Iussu itaque ac consilio auunculi Kohlius noster scholam Nicolobitanam frequentauit, in qua bonarum artium ac disciplinarum officina res suas ita semper egit, ut tam præceptoribus fidelissimis, quam commilitonibus, erectioris indolis, ob eximiam diligentiam, uitæ integritatem, animi candorem ac modestiam, in primis probaretur. Hinc etiam fiebat, ut, cum recte satisque institutus esset, e schola insigni cum laude dimitteretur. In ciues academiæ Lipsiensis postea receptus, rectam, quam ingredi ceperat, uiam pari studio ac prudentia persecutus est, suasque partes tam egregie est tuitus, ut omnium, quibus notus erat, & laudem & admirationem reportaret. Sua enim uirtute, suorumque maiorum exemplis ac imaginibus, quas semper propoluerau sibi, excitatus, talenta se perpetuo gessit, ut magnam sui expectationem non modo sustineret, uerum etiam postero tempore superaret. Ersi uero id uoluptatis contrigerat Kohlio, ut ex generosa & antiqua stirpe ortus fuerit, non tamen e gentis nobilitate, sed ex uirtutum, quas quisque consecrari debeat, splendore, ueram gloriam petendam esse, sapienter arbitratus est. Finitis studiis academicis, doctrinas, quas sibi comparauerat, ad usum forensem accommodare cepit. Cum autem causarum, quæ inter imperii ordines occurrere solent, cognoscendarum desiderio quam maxime traheretur, Spiram petiit, ut ibi imperialis iudicii Cameralis noticiam consequeretur, & in arduis eiusmodi negotiis, rebus publicis aliquando prodesse posset. Nec frustra se Spiram uenisse paulo post intellexit. Ut enim aditus ipsi patuit ad amicitiam uirorum celeberrimorum, ita quoque eruditione sua magis magisque inlarescere cepit. Aliquo temporis spatio in hac nobilissima urbe commoratus, consilio atque auctoritate Masci, auunculi sui, Magdeburgum, ubi Mascus tum domicilium habebat, se contulit, ut huic uiro in casibus, quarum multitudine obrutus erat, agendis opem ferat. Cui etiam in grauissimis, quas ipsi commiserat, rebus summa & uoluntate & dexteritate fecit satis. Interea temporis Kohlius noster, perpetuis laboribus adfectus, uarias quoque quæstiones iuris, easque grauiiores, in unum uolumen congescit, & dissoluit, atque, anno superioris sæculi primo, typis exscribendas curauit. Quo etiam anno ab Illustrissimo Comite, Stephano Henrico ab Eberstein, iudicii Cameralis Spirensis Præside, Cancellarii munere ornatus fuit, cui muneri, sibi demandato, fide ac industria adeo præfuit, ut, post quatuor annos ab Electore Brandenburgico, Ioachimo Friderico, aula iudicii que Cameralis Consiliarius constitueretur. Ex quo tempore fama Kohlii magis magisque emanauit. Etenim, bene merendo, non solum Principis sui gratiam sibi conciliauit, uerum etiam scriptis nomen suum amplius illustrauit, siquidem tractatus, de seruitutibus feudilibus, & subfeudis, foras dedit. Hinc factum est, ut uarii imperii principes studium eius ac operam desiderarent, eumque, ad amplissimos honores capellendos, laucioribus conditionibus oblati, inuiterent.

Cum

FR 24/5605 X 204 3838

Cum dentur, quibus, in Academicis vitam degere, pulchrum & iucundum videtur, & qui hanc viuendi rationem aliis uitae generibus anteponeere solent, Kohlio, propter eruditiois celebritatem, haec etiam inlarescendi occasio non desuit, eam arripere si uoluisse. Vocabatur enim Helmstadium, ut ibi in illustri Iurisconsultorum ordine Professoris primarii prouinciam susciperet atque ornaret. At enim uero Nosster forte sua contentus, domique Brandenburgicae deditissimus, reliquos, qui extra Brandenburgicos fines ipsi patebant, honores, omni, qua potuit, modestia recusauit. Hinc fieri non poterat, quin Principi Electori suo gratus esset atque acceptus, ac dignus, cui aliquando plures maioresque res gerendae committerentur. Elector igitur Ioannes sigismundus anno millesimo sexcentesimo decimo octauo Nostrom etiam summi senatus ecclesiastici Consiliarium designauit. Quos honores alii postea secuti sunt. Namque saeculi superioris anno tricesimo ad eum dignitatis ascendit gradum, in quo usque ad uitae exitum amplissima eum dignitate stetit. Tum uero temporis summo Viro splendidissimum Procancellarii munus praecipuo cum honore delatum fuit. Qua occasione rem praeire non possum, quam ex schedis Christiani Westli, celeberrimi quondam Gymnasii nostri Rectoris, hausi, qui eam ab amico, rerum Berolinensium in primis gnato, accepisse affirmat. Cum scilicet iste Procancellarii locus uacuus esset, Georgius Guilielmus, Elector, ab intimis suis Consiliariis audire uoluit, quem arduo huc muneris iudicaret praeter ceteris dignum, hi uero, neminem Kohlio praestantiorum, doctiorum, expeditiorum in omnibus Consiliariis reperiri, consent. Vbi itaque Elector Virum ad se uocari iubet, is ad praesentem simplicitatis ingenium uelutis ingreditur, ut eruditam magis modestiam, quam spectabilem inter aulicos luxum, referret. Miratos Princeps conuertit se ad suos, atque ex iis quaerit, num hic esset, quem tantae functioni dixissent parem? Respondent illi, sub hoc habitu dotes occultari tam insignes, ut Vir uel sublimioribus negotiis animum & operam adhibere possit. Qua honorificentissima commendatione audita, Elector illo munere Kohlium decorauit. In hac prouincia administranda exquisitam scientiam, acerrimam industriam, exercitissimam iudicandi solertiam, eximiaque fidei splendorem, Electori suo ita praeiuit, ut is postea ipsi difficillimam, de successione Iuliacensi motam, controuerfiam explanandam mandaret. Qua in re explicanda tam diligenter, tamque neruose uersatus est, ut Principis sui & gratiam & laudem reportaret. Qua clementia, sequenti etiam tempore, Elector Fredericus Guilielmus Kohlium dignatus est, in eaque, dum uixit, perpetuo mansit. Neque tamen, quamuis grauissimis undique negotiis impediretur, scribendorum librorum curam penitus abiecit, ut in extrema quoque senectute, sua dimissionem & relaxationem alii, neque immerito, exoptant, ad utrumque feliciter esset paratus. Nam annum agens secundum & octogesimum, de pactis dotalibus & successione coniugum, scripto nitidissimo, asiduitatem suam, qua uinci non poterat, constanteque ingenii uigorem ostendit. Tandem Vir magnus, annis & meritis Senex, omnibusque caris ne honoratus, ad summam quam paucissimi tangunt, senectutem perueniens, a florente aetate, exiguu memoriam, aurium & oculorum defectu, distinctus, placida morte, somno simillima, superioris saeculi anno quinquagesimo quinto, XV. Calend. Iulii, impleto fere anno septimo & octogesimo, animam exspirauit, ac ingens sui, tam in aula, quam apud suos, desiderium reliquit. In omni uita pius, modestus, candidus sine fuce, beneficus, ac in rebus gerendis aptus fuit ad res magnas, labore iudicioque par, promptus perspicendo, prouidus deliberando, celer agendo, dignusque omnino, cuius memoriam posteris pie uenerentur. Ex matrimonio, quod inierat, dulcissimos liberos suscepit. Filias reliquit uiris splendidissimis collocatas, Filios uero mortalitatis habuit praecursores, in primis Andream Fridericum, J. V. D. literis, peregrinationibus, atque experientia laudatissimum, iam inter Electorales consiliarios receptum, & anno aetatis quarto & uicesimo defunctum. E cuius filii praematura morte summum animi dolorem cepit.

Indicenda nunc est oratio. Cui ut *Magnificus Amplissimusque Senatus, Summe de Plurimum Reuerendi Sacrorum Antistes*, ceterisque omnis ordinis ac dignitatis *Literati Nobilissimi*, pro humanitate sua beneuole interesse uelint, omni obseruantia etiam atque etiam rogo.

P. P. Dom, a natali Christi proxima, A. R. S. MDCCCLXXXVIII.

NC




F. R. 87.

n. Kohl

Z f  
5605

10



AD  
ORATIONEM  
MEMORIÆ  
VIRI NOBILISSIMI ATQUE AMPLISSIMI  
MELCHIORIS CASPARIS  
WINCLERI  
SACRAM  
FUTURO MARTIS DIE  
HORA IX. AUDITA  
PUBLICE  
ABSE HABENDAM  
OFFICIOSISSIME INVITAT  
IOANNES CHRISTOPHORUS MULLERUS  
GYMNASII CONRECTOR.

ZITTAUIAE  
TYPIS GOTTLIEB BENJAMIN FRANKL.

